

Rosen-
stengel,
Introduct.
ad
praxin
clinicam



72

I

P

M

QP

3



024.

32 MEDICVS
PRACTICVS
CLINICO-FORENSIS
SEU
BREVIS

4

INTRODU-
CTIO

AD
PRAXIN CLINICAM
ET
FORENSEM

MODUM SISTENS ÆGROS VISENDI, CUM
ALII CONSULTANDI ET IN FORO RENUNCIANDI
ET DEPONENDI.

OPUSCULUM OMNIBUS MEDICINAM FACTURIS, LECTUM
ADITURIS, FORUMQUE MODERATURIS
LECTU PER QUAM UTILE ET
NECESSARIUM

Methodo facili & perspicua conscriptum

Ud 2265

JOHANNE JACOBO ROSENSTENGELIO;
MED. DOCTORE.

FRANCOFURTI AD MOENUM.

Sumptibus ANDR. FRID. BOETTIGHERI. ANNO M D CC XVII.





VIRIS
ILLUSTRI ET GENEROSO DOMINO
DOMINO
ANTONIO
DE
BARTHELT,

Circuli equestris Rhenani superioris nobili immediate,
Domino in Lispenhausen &
Bromhoff,

*Eminentissimi Principis Electoris Moguntini in aulico &
summo revisionis consilio, aliorumque S. R. I. principum consiliario,*

nec non

*Serenissimi Ducis de Schonberg & Lenister supremo praefecto
meritissimo & dignissimo,*

Domino suo Patrono & Fautori ad cineres usque
devota mente colendo.

Ut

Ut &

Nobilissimo, amplissimo, excellentissimo &
experientissimo Domino

DOMINO

JOHANNI
CHRISTOPHORO
HERTIO,

*Medicinae Doctori, Serenissimi Landgravii Hasso-Darmstati-
ni aliorumque S. R. I. Principum Consiliario & Archiatro
atque in celeberrima Academia Giessensi Medicinae
Professori Primario.*

*Domino suo Patrono atque Fautori ad cineres usque
devota mente colendo.*

Nec

Nec non

Nobilissimo; amplissimo, experientissimo, &
in Arte Chymico-Pharmaceutica exerci-
ciatissimo Domino

DOMINO

NICOLA O
SALZWEDELIO,

*Reipublicae Mæno-Francofurtensis Pharmacopæo meritisimo
& dignissimo,*

Domino suo Patrono Fautori & Compatriad cine-
res usque devota mente co-
lendo,

VIRI

VIRI

ILLUSTRIS ET GENEROSE NOBILISSI-
MI, EXCELLENTISSIMI, AMPLISSI-
MI ET EXPERIENTISSIMI

D O M I N I

PATRONI ET FAUTORES
COLENDISSIMI.

Cogitanti, PATRONI ET FAUTORES MAXIMI, mihi, animoque mecum perpendenti, cui nam potissimum hae pagellas inscriberem, statim ut sidus generosum nobilissima & amplissima Vestra illuxere nomina, quibus exiguus hic Ingenii foetus jure meritoque consecrandus videbatur. Quemadmodum enim pium, animique sinceri indicium est, esse gratum: ita in animo quoque grato pro maxima Vestra benevolentia, innumerisque in me meosque collatis beneficiis quovismodo Vobis offerendo occupatus aliis mediis destitutus publicum hoc gratitudinis documentum exhibeo.

Maxima hac benevolentia, innumeraque in me collata beneficia majoribus quidem compensanda essent donis; sed uti magni dii exigua pauperum munera benignis aspiciunt oculis: ita nec Vestra, PATRONI
ET

ET FAUTORES MAXIMI, liberalitas, justitia, prudentia, reli-
quaque quibus ad Deos quam proxima acceditis, praclaræ & nunquam
satis depradicanda virtutes exigua eruditorum spernent manera.

Pluribus eximias has, quibus pradii estis, efferre virtutes non opus
est: solique facem accendere non convenit. Pietate, ut alias virtutes
saccam, magnificentia, liberalitate & clementia in tantum ceteros an-
teiciis, in quantum solis inbar reliquorum siderum splendorem superat:
illasque cum a Vobis majoribusque parva gloria satis depradicare res tantò
momenti est, ut omne animi excedat acumen. Omnia à DEO Vobis con-
cessa munera meritis efferre laudibus onus esset, cui ne Herculis quidem
humeri sufficerent. Pietas itaque Vestra, prudentia & justitia exiguis hac
in re meis fauebit conatibus, liberalitasque & clementia, ubi desunt vires,
laudabit voluntatem, animumque integerrimum Vestrarumque virtutum
admiratione & perpetua observantia plenum intuebitur.

Ad vota potius accedo DEum humillimis devotisque imploraturus
precibus ut Vos, PATRONI ET FAUTORES MAXIMI per quam lon-
gissimam annorum seriem tutos saluos & incolumas seruet, ut Vobis omnia
elargiri velit quibus fausti felices & fortunati esse poteritis. Ut Vobis omnia
concedat qua valent ad bene beateque vivendum. Has ex animo preca-
sur & roves

illustris nobilissimi, excellentissimi amplissi-
mique Nominis Vestri.

Submissus & humillimus Cultus


Johannes Jacobus Rosentengelinus
Med. Doct.

Lecturis

S. P.

Duo sunt, Lector benevole, in quibus Medici practici consistit officium: unum est *agrum visere*, morbum ejus cognoscere, remediaque invenire & applicare convenientia, ut morbo superato amissa redeat sanitas: alterum vero *forum moderari*, casusque medico-forenses ex principiis artis medicæ decidere, ut judex certior inde factus curationem ferre possit sententiam. Utrumque *Archiatri poliaris* &c. seu omnibus *in officio publico constitutis*, reliquisque *promotis* & medicinam facturis medicis scire maxime convenit: illorumque omnis in duobus hisce opera, cura & diligentia debet esse posita.

De utroque hoc medici officio egregia extant *Bohnii* scripta, cujus liber de *duplici medici officio* dignus est, qui nocturna diurnaue verletur manu: licet nec *Claudini*, *Scharandei*, *Welschii*, *Ammanni*, *Valentini*, aliorumque hac de re non contemnenda sint literarum monumenta. De utroque hoc medici officio pauca & nos tradere, & ad modo recensita scripta brevem quasi introductionem dare volumus, quam imposteriorum uberiori commentario, si DEUS vitam viresque largietur, nostraque scripta lecturis non erunt ingrata, illustrare animus est. Fruere interea exigua quidem, at valde necessaria hac introductione, tuamque praerogativam ad lectum & in foro ad ejus ductum institue.



INTRO-



INTRODUCTIO.

THESIS I.

Qui verus medicus esse cupit, is id ante omnia agat, ut perfectam artis Medicæ acquirat cognitionem, cui postmodum in praxi prudentiam, & iudicium in applicando jungat.

Exordis.

I. Quamvis ars medica tam respectu originis, quam subjecti & finis sit ars nobilissima: nihilominus tamen a quam plurimis contemnitur. Hoc etiam Hippocratis tempore factum est, unde *in lege* ait: Medicina omnium artium est præclarissima, verum propter ignorantiam eorum, qui eam exercent, & ob vulgi ruditatem, quod tales pro medicis habet & iudicat, jam eo res devenit, ut omnium artium sit vilissima. At vero hoc peccatum hanc potissimum ob causam committi videtur, cum soli medicinæ nulla pœna in rebus publicis constituta sit præterquam ignominia; verum hæc nec afficit nec tangit eos, qui ex composito personam ejus induerunt. Simillimi enim sunt hujusmodi medici personis, quæ in tragædiis introducuntur. Quemadmodum enim illi figuram quidem & habitum ac personam eorum quos referunt habent, illi ipsi autem vere non sunt: sic & medici fama quidem & nomine multi, re autem & opere valde pauci.

II. Hoc Hippocratis effatum exemplis illustrare odiosum est: dicendum potius erit, illi, qui hanc Hippocratis censuram effugere, & verus Medicus esse cupit, ante omnia id agendum esse, ut perfectam artis Medicæ acquirat cognitionem, cui postmodum in praxi prudentiam, & iudicium in applicando jungat.

III. Ad veram itaque Medicam scientiam acquirendam & exercendam variis opus est mediis atque requisitis, quorum ab Hippocrate loco supra citato sequentia recensentur: uti sunt *natura, doctrina, locus studii aptus, institutio a puero, industria & tempus.*

IV. Primum inter hæc requisita *natura* locum occupat, per quam *memoriam optinam intelligit, & iudicium promptum & acre.* Memoriam optimam

▲

nam requirit quæ omnia artis præcepta capere possit; nec sufficit præcepta artis fideliter didicisse, sed ad perscrutandas morborum causas iudicio acri opus est, ac in casibus dubiis prompto & parato.

IV. *Doctrina*, est alterum requisitum ad medicinam discendam & exercendam necessarium, quod a parte docentium quidem accedere debet, qui vero medicinam exercere & ad lectum accedere cupit, omnibus ad scopum artis medicæ directe facientibus præceptis imbutus esse debet, ut læsiones actionibus vitalibus imminentes præcavere, aut illis jam illatas in ordinem redigere & corrigere possit. Numerum itaque partium corporis humani, situm & connexionem noscat, plantarumque officinalium, aliorumque remedium selectiorum virtutum cognitionem habeat. Et quemadmodum corpus humanum vivum, quatenus sanitatis & morborum capax est, medicina subjectum constituit, eoque omnis medici labor tendit, ut sanitas & vita quantum fieri potest, in integritate servetur, periculaque vitæ & sanitati imminencia avertantur, morbi que presentes methodo certa & fida abigantur: ita omnis Medici Theoria in inquisitione vitæ & sanitatis occupata esse debet: quibus etiam variorum motuum in statu p. n. occurrentium, ad conservationem corporis tamen tendentium tractatio addi debet, ut appareat quomodo etiam in statu p. n. præsentibus licet causis morbificis nihil ominis corpus in vita conservetur. Non sufficit autem hæc Theoria Medico practico, sed *Pathologia clinica* insuper accedere debet & *therapia* seu *methodus medendi rationalis*. Probe itaque futurus practicus *historiam* morborum cognitam & perspectam habeat cum omnibus accidentibus tam propriis quam communibus, illorumque exitu tam salutari quam funesto. Ante omnia autem omnes in universum morbos in certas classes redactas habeat, & sciat (1) qui morbi certis ataribus sint proprii, aut aliis quoque communis. (2) quomodo morborum symptomata ratione temperamentorum, gradu & vehementia inter se differant, & quæ sint illorum cause vere. (3) Quanam symptomata singulis speciebus sint propria, aut specificè ab aliis morbis distinguant (4) quanam symptomata morbum præcedant, illum comitentur & consequantur. (5) quamdiu durare soleat qui vis morbus specialis, & quis illius sit exitus, num salutaris aut funestus, an per crisis solvatur aut in alios & in quos transeat morbos, quomodo & per quas vias illa fiat mutatio &c. qua de re *Baglivius* legi meretur, *Medici Uratisapienses*, Dn. Dr. *Stablius*, *Forestus*, *Bonetus* & alii. Hanc pathologiam clinicam *Therapia* excipiat, Medicusque clinicus nosse debet morbos, qui sponte a natura curantur, ne ubi nullum curationis spontanæ exemplum occurrit in morbis curandis frustraneam locet operam. Porro *methodum cognitam* habere debet, qua natura in quovis morbo curando utitur, num simplici humorum correctio-

rectione, & insensibili evacuatione, an vero sensibili evacuatione per alvum, urina-
nam, diaphoresin &c. His facultas dignoscendi succedat an morus, quibus natura
ad debellandum morbum utitur sufficientes sint? an vero excedant vel deficiant? ut
ubi illi sufficientes spectatorem agere, excedentes vero refrenare, & ad mediocritatis
statum reducere, deficientesque promovere queat.

VI. Tertium requisitum est, locus studii aptus, sunt autem loca talia
non tam Academia, quam Nosodochia hinc inde celebria, lectusque ægroti patien-
tis, ubi juniores practici seniores clinicos comitari, modumque illorum in morbis
cognoscendis, remediisque applicandis observare debent.

VII. Hisce requisitis porro Hippocrates institutionem a puero addit :
quæ libros evolvendo, ægrosque visendo ad finem vitæ usque erit continuanda.

VIII. Reliqua Hippocratis postulata sunt industria & tempus. Industria
in reliquis artibus, ita & in medicina quam maxime necessaria est, nullusque
hic otio locus relictus. Non autem annorum aliquot; sed multorum requiritur
industria. Medicina enim late se extendit, & multa in ea adhuc latent :
hancque ob causam ad ea detegenda, longum omnino tempus medicus practi-
cus debet impendere.

THESIS II.

AD diligentem ægrorum procurationem medico videndum est,
quanam de morbo interrogationes fieri debeant, quæ narret æ-
ger, qualia haberi debeant, ut accipiendi sermones, quæ ad assistentes,
& quæ ad ea quæ extra spectantur, attinent.

Enders.

I. In præcedentibus de doctrina eruditione aliisque medici clinici re-
quisitis pauca exposuimus; sequitur nunc ut munus & Officium illius explicemus:
quod secundum Hippocratem in eo consistit, ut videat quanam de morbo in-
terrogationes fieri debeant, quæ narret æger, qualia haberi debeant, ut accipiendi sermo-
nes, quæ ad assistentes, & quæ ad ea, quæ extra spectantur, attinent.

II. Medicus ad ægrotum accersitus, illum ad eundo anni tempora
consideret, morbosque qui in illorum mutationibus fieri aut exacerbari solent.

Si vernum tempus, de morbis vernalibus cogitet, quorum Hippocrates sect. III. aphor. 20. mentionem facit, dum inquit: Vere quidem in sania & melancholia, & Epilepsia & sanguinis fluxiones, & angina & gravedines, & raucedines, & ruffes, & lepra & imperiginis, & vitiligines & pustula vlcerosa plurima & tubercula & articulorum dolores fiunt.

III. Si tempus æstivum morbos illorumque curationem in animum revocet hoc tempore familiares, quos Hippocrates aphor. 21. subjungit inquiens: ætate & horum nonnulli fiunt & febres continue & ardentes, & tertiana plurima & quartana, & vomitus, & alvi fluxus, & ophthalmia, & aurium dolores & oris exulcerationes, & pudendorum putredines & sudamina.

IV. Tempore autumnali vocatus morborum recordetur, quos Hipp. aphor. 22. tradit, dum inquit: Autumno autem febres quartana & erronea, & lienes, & hydropes, & tabes, & urina stillicidia, & lienteria & dysenteria, & coxa dolores, & angina, & asthma, & volvuli, & epilepsia & insanie, & melancholia contingunt.

V. In hyeme sequentes observantur morbi ab Hipp. Aphor. 23. de. scripti, Hyeme pleuritides fiunt, peri pneumonia, lethargi, gravedines, raucedines, ruffes dolores pectorum & laterum, & lumborum & capitis, vertigines & apoplexie.

VI. Dum autem medicus ad lectum accedit, ante omnia ætatem ægroti patientis consideret, videatque num in infantia seu primo septenario constitutus sit, cujus diversi dantur gradus. Primus est a nativitate ad mensem septimum sive ad dentitionis, cui Hipp. III. aph. 24. sequentes tribuit morbos, cujus generis aphra, ruffes, vomitus, vigilia, pavores, umbilici inflammationes, aurium humiditates fiunt. Secundus gradus infantie incipit cum dentitione, & incerti est termini. Huic varii quoque morbi magis quam alii proprii sunt. Hipp. illos III. aph. 25. recenset, uti sunt gingivarum pruritus, febres, convulsiones, alvi profluvia & maxime ubi caninos edunt dentes, & iis qui inter pueros sunt crassissimi, & qui alvos duras habent. Tertius infantie gradus, qui vel ad septimum usque annum, vel ultra extenditur suos quoque proprios habet morbos juxta III. aphor. 26. qui sunt tonsilla inflammata, luxationes, asthma, calculorum generationes, lumbrici rotundi, ascarides, verruca pensiles, saryriasis, stranguria, struma & alia tubercula; maxime vero supra dicta. an vero in pueritia? quæ ad annum XIV. se extendit. in qua ætate constituti multos ex ante dictis morbis experiuntur teste Hipp. III. aph. 27. quibus adhuc addi possunt hæmorrhagia & febres diuturniores. Affligunt autem modo dicti morbi non solum pueros sed & adolescentes ad medium usque tertii septenarii sive annum XVIII. quo ipso alia morborum periodus incipit quæ a dicto per ultimum adolescentie tempus ut & per totam juventutem du-

rat ad annua XXXV. usque: sunt autem juxta Hippocratem III. aph. 29. sequentes sanguinis spiritiones, tabes, febres acuta, epilepsia & alii morbi, maxime vero supra nominati. Iidem affectus superata etiam juventute observantur in viris veterioribus, quibus alii adhuc accedunt, quorum Hip. III. aphor. 30. mentionem facit.

VII. Durant hi morbi per virilem & consistentem aetatem: appropinquante vero senectute, *Ischiadicum malum, atque lumbago rheumatica succedunt*, tandemque *gonagra cum podagra sequuntur, mictus cruentus, apoplexia*, tandemque crescente senectute etiam sensuum perit vigor & accedunt juxta III. aph. 31. *visus heberudines, glaucedines, auditus gravitates, tremores artuum*, donec tandem pereuntibus viribus fractoque per morbos & senium corporis robore anima relicto marcido domicilio aeternitatem ingreditur, corpus vero terrae demandatur, & brevi putredine consumitur. Et de his morbis apud aegros faciendae quaestiones.

VIII. Quanam de morbis interrogationes fieri debeant, idem Hippocrates sequentibus docet verbis: cum ad aegrum perveneris, *quanam patiatur, & quanam ex causa interrogandum, & ex quot diebus, an etiam venter demittat, ac quamnam vitius ratione utatur?*

IX. Si quis itaque junior medicus aegrum quendam curandum suscipit, modeste compositus infirmum roget: *quanam patiatur, & quo modo afficiatur?* ut ex responsis cognoscat num consuetis & naturalibus laboret *haemorrhagiis diversis in locis pro diversitate aetatum contingentibus?* an vero *fluxuum sanguinis suppressionibus, & hinc contingentibus congestionibus, doloribus, inflammationibus, febribus synochis?*

num *scabie afficiatur, Cachexia, Anasarca, Ascite, Ictero, Diarrrhaea, sudoribus nimis, fluore albo, Gonorrhoea, Lue Venerea, scorbuto?*

num *spasmo laboret, morbisque spasmodicis Arthritide v. g. cum suis speciebus, Colica spasmodica, palpitatione cordis &c.* an vero *Lyporhymia sive animi deliquio, syncope, affectibus soporosis, Apoplexia, paralyti?*

num *Erotomia, mania, melancholia, an vero furore uterino, melancholia Hypochondriaca, aut delirio febricitantium?* de quibus infra plura dicendi dabitur occasio.

X. Altera Medici quaestio erit: *quanam ex causa ea patitur?* num a sanguine quantitate aut qualitate peccante ea oriantur incommoda, an vero a *cachochymia, lymphae, seri, aut reliquorum humorum vitio?* num *morbus a natura hisce*

morborum causis oppositi in causa sunt? an vero *flatus*, *vermes*, *calculus* aliaque res toto genere præter naturales hæc producant, foveant, & alant mala?

XI. Porro Medicus clinicus interrogare debet, *ex quot diebus illa patitur?* ut cognoscat num morbus adhuc in principio sit, ubi symptomata sunt mitiora, & resque constant: an vero in *incremento*, symptomataque cum virium labefactione & decrescunt? num in *statu* sit, ubi symptomata urgent gravissime, maximaque virium observatur debilitas? an vero in *declinatione*, ubi vires morbo superato sensim redeunt, viaque sternitur ad amissam sanitatem recuperandam?

XII. Denique Medicus clinicus de *evacuationibus* quaestionem instituat: num *venter* *secedat*, reliquaque *secernenda* & *excernenda* legitime procedant? an medicamentis *evacuantibus* usus fuerit, *cauteria* alat? & quæ sunt alia. *Agmen* harum quaestionum claudat examen de *victus* ratione: *quo cibo* & *potu* *uratur*, & *quomodo sese gesserit ad reliquas res non naturales*, animi potissimum *pathemata*, magnam vim in actiones vitales exserentia?

THESIS III.

Non sufficit autem quaestiones de morbo instituisse apud ægrum, sed *sexus* ejus simul considerandus est, & *temperamentum* indagandum, *pulsus*que tangendus.

Endeosis.

I. Tria sunt quæ medicum ad morborum manum quasi ducunt cognitionem, *querere nimirum, tangere & videre*. De quaestionibus apud ægros faciendis supra fuit expositum, sequuntur nunc reliqua adminicula, quibus mediantibus in morborum ignotorum pervenimus notitiam.

II. Dum autem medicus de morbo interrogationes instituit, *sexum* simul consideret, videatque num *semina* sit aut *vir* cujus curationem suscipit, cum multi & plurimi morbi utrique *sexui* communes sunt, non pauci autem *fœminino* aut *masculino* proprii. Illi *mensium fluxum* respiciunt, *graviditatem* & *parturum*, *lochiorum fluxum* & tandem *mammæ* & *lac*. Viris morbi proprii respiciant *generationis opus*, *seminis sc. elaborationem*, *asservationem* & *ejaculationem* & *justam partium genitalium conformationem*.

III. Et postquam hoc modo suas absolvit interrogationes & contempla-

plationes aëri manum dextram apprehendat & pulsum tangat modo uno, modo pluribus digitis nec nimis comprimendo, nec nimis laxando illos ut pulsum non alium, quam est animadvertat illumque diutius consideret, donec observarit, num *sanis similis sit, equalis, magnus & vehemens*, adeoque bonus, & salutem indicet? an vero *languidus parvus aut tardus* mortem prænuñcians, aut *myurus, intermit tens, vermiculans, tremens aut convulsivus*, qui magis periculosus? num pulsus *imbecilliores, rariores* sint, solutionem paulatinam futuram denotantes? an vero *inaequales, vehementes, magni, celeres & frequentes*, adeoque morbuna per crisin terminaturum denotent? aut ex *languidis fortes, & ex parvis magni pulsis* fiant: quod bonum signum est constantem crisin denotans &c. Plura de pulsu ejusque differentiis, & signis in Hippocratis aliorumque scriptis evolvi possunt.

IV. Et dum medicus pulsum tangit habitum corporis & statum sanguinis simul consideret, videatque, num *structuram* partium mollium habeat, *laxam & porosam, turgidam partium consistentiam* quodammodo *floridam, calidam & mollem* per quam *vasa* transeunt *exigua, sanguis* sit admodum *floridus & fluxilis* per hujusmodi *vasa & poros* facile transitum inveniens, *pulsus* sit *moderatus & equalis, secretionesque & excretiones promptissime succedant*, adeoque sit *sanguineus*? Morbi quibus sanguinei sunt expositi observantur sequentes. In *juventute* quidem *Hæmorrhagiis narium* admodum raris sunt obnoxii, nisi illæ a causis externis in actum deducantur. His succedunt *dolores spastici & æstus capitis, inflammationes oculorum & aurium*. Sequuntur in *ætate provectiori* *pleuritides, peripneumonia, dolores spastici & rheumatici partium thoracis externarum*. Hæc incommoda excipiunt *pathemata Hypochondriaca, dolores rheumatici* ac tandem vera *arthritis*, malum sc. *Ischiadicum, Gonagra & Podagra, Nephritis, & calculus*. Præterea etiam sanguinei in *ætate virili* consistente, & senectute viridi *advertiginem, apoplexiam, Paralysem & Epilepsiam* sunt proni. *Febribus* præterea tentantur sed rarius iisque tam *continuis quam intermittibus, scabië* item & *inflammatione*. an vero *sanguis sit floridus*, plus sulphuris contineat, & ad *incalescentiam* majorem aptior, *solidarum partium structura* stricior sit, & *ad incalcescentiam* corporis minus *turgidus* minusque *spongiosus* & *ad tactum durior & calidior*, nec tanta *albedo* in illo reperiatur quam in sanguineo, *pulsus cordis* sit *fortis atque vegetus*, *vasa* *capaciora & ampliora secretionesque & excretiones* optime succedant, & ita *temperamentum* sit *cholericum*?

Morbis cholericis sequentibus sunt obnoxii & in *ætate* quidem *juniore*, *narium Hæmorrhagiis*, in *juventute* *Hæmoptysi* in *virili ætate* *hamorrhoidibus*, tandem

demque in senectute *micui cruento*. Sequuntur *Hæmoptysin pleuritides & peripneumoniae lethales sæpe cum phyrifi*. Nullum autem temperamentum ad febres magis est dispositum, quam hoc siue illæ sint *intermittentes siue continuæ*. Proxi denique sunt ad *alvi fluxus, diarrheas biliosas, dysenteriam, colicam* aliaque mala.

V. Ut in *phlegmatici* habitus corporis cognitionem perveniamus videndum erit num sanguis *fluidus sit & tenuis* minus floridus & ad fermentationes minus pronus, & extra motam constitutus admodum aquosus, habitus corporis ad *tactum* valde mollis & *turgidus*, non floridus nec calidus, sed *pallidus* potius & *frigidus*, reliqua vim partium *substantia* admodum *porosa*, *vasa sanguifera* admodum *exilia*, *pulsus languidior & rarior*, *secretionesque & excretiones* tarde procedant.

In *pueritia* corripuntur *ulcerosis affectibus capitis & faciei, coryza gravioris, gravedine, ulceribus manantibus aurium*. His succedunt *faucium exulcerationes, tumores tonsillarum, uvulae relaxationes, tussis diurna & humida cum vel sine raucedine*. Adulti dispositi sunt ad *inflationes ventriculi, cruditates, vomitus, Diarrheas, flatus tormina, succedit cachexia, Leucophlegmaria, anasarca oedema pedum, Hydrops, Ascites*. Tandem appropinquante senectute corripuntur sæpius *tussi humida & apoplexia pituitosa*. Febribus non facile tentantur, & si tales patiuntur sunt intermittentes *chronicæ* facile ad *Hydropem* terminantes. Ad *affectus soporosos præce-* teris sunt dispositi, *convulsionibus* vero raro tentantur.

VI. Habitus corporis *Melancholicus* ex eo potest cognosci, si sanguis *spissior* sit, minus dilutus & fluxilis, adeoque parum sulphuris, multum vero terræ contineat: si habitus corporis admodum *constrictus* sit, *densus & siccus*, in fibris notabilis atque *rigida* sentiatur *tensio*, ita ut universus habitus corporis *manifestam* exhibeat *macilentiam*? color corporis sit *pallidus & ex livido subnigricans*, calor *exiguus* tactu in partibus deprehendatur? *Vasa* occurrant *ampliora & pori* *minores*, *pulsus* etsi *tardus tamen fortis*, *secretionesque & excretiones* tarde procedant? Qui de temperamentis plura legere desiderat *Stahlianum* evolvat, & *Nenterum Physiol. p. m. 260. leqq.*

Melancholici ad morbos graves non adeo proni sunt: *Hæmorrhagiis* tamen interdum etiam tentantur. In *juventute & sequentibus ætatibus* in *Hypochondriis & abdomine varia se exerunt pathemata, vasorum & viscerum* contingunt in *sartus hepatis & lienis*, ex quibus postea *scyrri, exulcerationes, atrophia & hectica* nascuntur. Sæpe etiam corripuntur *Colica spasmodica & melancholia Hypochondriaca*. In temperamentis compositis respiciendum semper est ad *primarium & prædominans*, quod morbis certis temperamentis proprii ut plurimum sequi solent.

Thea

Quemadmodum oculi sunt in amorem duces, ita medicos etiam in morborum occultorum notitiam possunt perducere.

*Ευδεισις.

I. Post pulsum cognitum recto ordine ad urinas aliaque excrementa consideranda itur. Inspecturus itaque urinam non particulam solum, sed integram quam minxit æger sine agitatione consideret. Sic enim ea quæ in imo medio & superficie sunt optime perspiciet.

II. Respiciat *colores Urinae contenta & quantitatem*. Colores indicant humores, contenta materiam facilem aut difficilem, quantitas abundantiam seri & porus: & ante quam de urina medicus iudicium ferat colorem & odorem urinæ consideret, videatque: num *albedo* in urina occurrat aut potius naturalis coloris defectus *tormina & rosiones ventris designans, tenesnum, calculum, palpitationem cordis, hydropem incipientem & instantem, stranguriam, febrem continuam, Epilepsiam* &c. an vero *flava* sit absque *eneoremate laudavili febrem designans, dolores atque convulsiones intestinorum spasmodicas* aut *crocea* quæ *Icteri præsentiam in nuit*? num *viridis urina sit pura & homogœna phrisin, consumptionem, maciemque corporis designans*? aut *admixta sit flavedo convulsiones intestinorum arguens chronicas ac inveteratas*? an vero *rubicunda febres ardentiores, intensiores, ac vehementiores designans, nec non Hydropem consumatam, perfectam ac completam*: uti pluribus videri potest *Horlacher in methodo urinoscopiæ & alii*.

III. *Alvi excrementa* non minus inspicienda sunt quam urina, cum sint *bone vel male digestionis indicia*. Consideranda itaque in illis *color* erit, num ille naturalis sit instar mellis cocti? *Consistentia* quæ in sanis & coctis neque dura neque mollis esse debet, *quantitasque proportioni cibi respondens*.

IV. Et cum *sudores & sputa* plerumque in morbis *tempore crisis* accidunt, summopere observanda sunt quo die, & qua quantitate, & quoties illa accidunt? ut postmodum recte *de sanitate, brevitate aut diuturnitate morbi iudicium ferre possit*.

THESIS V.

Medicus tandem rebus omnibus rite consideratis iudicium de morbo solus ferat, aut cum aliis simul in consilium vocatis.

B

*Εκ-

I. Postquam igitur Medicus quærendo tandem morbum indagavit incognitum, illumque per pulsus urinam perque alia signa cognovit, dicat primo *qualis morbus sibi videatur & unde oriatur? a quibus nutriatur? & quamdiu duraturus sit? tum quando eius judicatio aderit, deinde utrum morbus sit periculosus, quando ager moriturus sit, aut quando convalescat? Ultimo utrum morbus rediturus sit nec ne? vel in alium faciliorem aut deteriorem, longiorem vel breviorẽ transponendus?*

II. Accidit etiam non raro ut plures simul Medici in consilium vocentur ubi notandum erit *consultare non esse altercari nec invidere, nec contemnere, nec pertinacem esse; sed ex communi sententia egrobene prospicere, ingenue fateri que noveris, benignum docilem non litigiosum esse & alia hujusmodi.* Non est majus malum in consultationibus quam *invidia & obtreptatio*, quæ & ægrotò & medico obsunt, dum æger patitur & medicus fraudulenter agit.

III. Alterum vitium in consultationibus agit, quando ordinarius, si forte aberraverit, *errorem non agnoscit*, seu obstinate in sua sententia permanet. Huic vitio porro accedit alius error, qui ferendus non est, cum nempe ordinarius *consultorum dicta*, tanquam melius saperet, *contemnit*, & postquam abierunt, *prescripta projicit & ad sua redit*, tentatque ægro persuadere; istos multa quidem sed non ad rem dixisse, se melius ægri naturam cognoscere, & ideo se melius operari.

I V. Consultores denique ipsi maxime peccant, dum nihil aliud quam *purgationes medicum ordinarium rogant*, quot nempe vicibus, & quibus modis purgaverit; de *Essentia morbi* autem, de *symptomatibus*, de *causa*, de *longitudine* aut *brevitate morbi* ne somniant quidem, sed *marsupium secretorum suorum aperiant*, promuntque quoddam, quod ut ephippium omnibus equis ita omnibus morbis conveniat, toties nempe in morbis deploratis probatum.

V. *Commoda* mihi itaque ea *ratio* *Consilium* dandi visa est, quæ & breviter, & sensum perspicuum sequitur, & quæ a scopo non aberrat. Videlicet *si ordinarius perspicue omnia narret*, quæ *circa ægrum hæcenus acciderunt*, quando nimirum morbus ægrum invaserit, & quomodo, *quæ symptomata supervenerint*, a quibus *medicamentis bene vel male affectus fuerit*, quæ *materia ejecta in quantitate & qualitate*, quibus diebus &c. *Utrum ager unquam fuerit recidivus* aut propter *diætã* minus recte institutam, aut propter quid aliud? ut secum alii consultores modo convenienti consultare, & *de morbo*, & *de ejus cura* judicare possint, de *in prognostica elicere de longitudo aut brevitate morbi*, de *inmutando ordine remediorum*, & si quæ alia erunt necessaria.

The

(I I)
THESIS VI.

Natura est morborum medicatrix & medicus Naturæ Minister.

*Exdest.

I. Hactenus de modo visendi agros, morbosque cognoscendi egimus: Paucanunc monenda restant de morborum curatione, quæ infra pluribus traditur, quorsum L. B. remittimus.

II. Per naturam hoc loco nihil aliud intelligimus, quam Principium illud activum quod mediantibus partibus mechanico ordine conjunctis omnes operationes corporis in statu S. &c. p. n. juxta ordinem a Deo præscriptum ita disponit & dirigit ut corpus in statu sano conservetur, & a morbis liberetur.

III. Cum porro Medicus Naturæ minister sit, naturaque in eo tota occupata, ut corpus suum nutriat, & a putredine destructioneque præservet, Medici officium in eo quoque consistet, ut hanc naturæ methodum imitetur.

IV. Ad præcavenda varia incommoda medicus Naturæ superpetias ferre potest (1) dietam exactam præscribendo, ut homines sc. tantum solum cibi capiant quam corporis nutritio postulat (2) jubendo ut corpus sufficienter moveatur, nec hoc factò Aeri frigido exponatur. Quoniam vero multorum hominum condicio tales motus non ferat, qui nihil ominis appetitui indulgent Medicus (3) per V. S. & scarificationem sanguinem Vernali & Autumnali tempore evacuet: quo tempore etiam (4) remedia laxantia cum fructu præscribuntur, ut cruditates ex primis viis removeantur. Quod si vero visciditas sanguini insit, aut sordes in eo contineantur. (5) Lenia diaphoretica & diuretica præservandi sine profunt: in primis autem (6) Medicus rotus in eo sit; ut animi pathemat a fugere cuiusvis persuadere moliatur.

V. Cum autem intemperantia hominum tanta sit, ut, spretis omnibus salutaribus consiliis appetitui animique affectibus indulgeant, non possunt non varia inde in corpus humanum redundare in commoda, quibus avertendis natura sæpe impar est, medicusque illi auxilium ferre debet.

VI. Quo vero medicus eo facilius naturæ succurrere queat sollicitè inquirere debet an morbus præsens ortus fuerit a causa quadam immateriali gravioribus sc. animi pathematibus an vero a causis materialibus. Si hoc, attendere debet ad materiam, si illud, magis ad naturam ejusque motus.

2. pro

2. probe attendat ad *motus naturæ*, an ad obtinendum finem *sufficiant* aut *deficiant*? an *excedant*, debitoque *tempore & modo* suscipiantur & ad certa & *apta loca* tendant?

3. Summo studio distinguat *symptomata essentialia* ad ipsum morbum pertinentia ab *accidentalibus*. Illa nequaquam supprimat, sed potius, si deficiunt, adjuvet, ubi vero excedant moderetur ut natura suo potiatur sine.

4. His cognitis eligat *methodum naturæ intentioni & curandi methodo conformem*, ac talia *prescribat remedia*, quæ *naturæ intentioni possunt satisfacere*. Et cum natura plerumque absque magna violentia agat.

5. *Fugiat omnia drastica* remedia quæ motum augere nimis vel vires imminuere possunt. Tandem

6. Talem etiam *prescribat dietam* quæ & *vires conservare & naturam* in operando *adjuvare* queat.

7. Et hæc introductionis loco *sufficiant*: cum vero febres curandi ratio valde *necessaria* sit placet hoc loco addere.

Exemplum

De

Febribus.

I. Cum *nullus morbus* adeo frequenter corripiat *homines*, & facile quoque se associet aliis *morbis*, quam *Febris*, ideo etiam res maximi momenti est, & magnam *Medici* postulat attentionem; si enim *Natura* non rite succurrit ea facile in *levibus Febribus* succumbere potest.

II. Maxime autem respiciendum est ad *Naturam ipsarum febrium*, an scilicet *Natura* continuo in *expellenda heterogenea materia* occupata sit, an vero *certis tantum temporibus ejusdem expulsionem* molitur. Priori in casu *Medicus* continuo vigilare & *Naturam operantem* adjuvare debet, idque omnium maxime in *continuarum exacerbatione*: cum enim tum temporis *Naturam cooperantem* habeat, longe facilius quoque sine suo potiri potest. Sed in ipsa *acerbatione* probe attendat necesse est, an *Natura* in *motibus* excedat, an vero deficiat: *excessus hujusmodi* frequentissime compinguntur in *cholericis*, cum è contra in *Melancholicis & Phlegmaticis defectus* magis notentur. Utroque in casu *Medicus Naturæ* succur-

succurrere debet: in priori quidem diaphoreticis fixis, nitrosis, diluentibus, acidulis &c. in posteriori vero cardiacis & diaphoreticis fixis, quibus tamen volatilia in refracta dosi addi possunt, quo Natura eo facilius sine suo potiri queat. In omnibus enim hisce febris Natura materiae heterogeneae correctionem, secretionem & promptam excretionem intendit. Et cum materia febrilis non tantum in ipso sanguine, sed etiam frequentius in ipsis primis viis hareat, inibique ob concurrentem bilis acrimoniam magnis turbis saepissime ansam praebeat, Medicus, si Natura per Diarrhaeas spontaneas eam non expellit, eidem ferat opem blandis laxantibus. In omnibus enim febris continuis praestat alvum lubricam, quam adstrictam esse. Imo accuratissimi Practici observarunt: Naturam quoque in febris exanthematicis nonnunquam summo cum fructu Diarrhaeam excitare: quo ipso permoti, in ipsis quoque petechialibus febris lenia purgantia aegris praescribere.

IV. Deinde etiam Medicus probe consideret Naturam Febrim continuationem, durationem & imprimis mutationes earundem, quae plerumque septenariis & semiseptenariis contingere solent diebus: & si Natura hisce diebus evacuationem quandam molitur, eandem inepta curatione non turbet, sed potius adjuvet, probe attendendo ad locum, per quem Natura excretionem molitur. Ex quo etiam illud maxime necessarium fluit: Naturam nunquam ad excretionem in febris exanthematicis cogendam, sed potius blande adjuvandam esse, quo diebus consuetis illud quod molestum est, expellere queat. De V. S. in febris continuis illud in genere notandum est, eam quidem praesente Plethora etiam in statu morbi administrari posse, praestare tamen in principio eam secare.

IV. In Intermittentibus febris itidem Medici officium requirit, ut in ipso paroxysmo Natura praecipue opem ferat: in hisce autem materia febrilis, quam Natura magno conatu ejicere cupit, plerumque visciditate peccat, quare etiam insignem humorum copiam ad primas vias mittit, ut eo facilius dilui & vel per vomitum vel per diarrhaeam excerni possit. Quo ergo Natura eo facilius sine suo potiri queat, incipiente paroxysmo incidentiae Cina cum diluentibus aegrotis exhibeat Medicus, haec enim omnem visciditatem optime resolvunt: accedente vero calore lenia diaphoretica fixa cum Cinis & Essis remixta frequentius det, quo sudor eo melius procedere queat: quo citius enim & facilius sudor excernitur, eo citius etiam & Paroxysmus & Febris universum suum ambitum absolvit. Cum vero expulsa etiam materia, Natura nihilominus interdum motus febriles excitet, Medicus eosdem sedare conetur vulgo sic dictis specificis Febrifugis, quae tamen ante quartum Paroxysmum, aut quando febris impetus aliquando remittit, nunquam exhibeat, ne per imprudentem febris suppressio-

pressionem aliis gravioribus morbis antiam præbeat. Remedia quæ Medici intentioni satisfaciunt, sunt potissimum *China China*, & quæ hancce adhuc superat *Chacarrilla*, utpote quæ & roborando & incidendo agit, cum e contra altera adstringendo magis operationem suam absolvat, & sic facile portionem materiae febrilis partibus includat, quæ post modum vel recidivam vel alia mala causatur. Ubi vero motus febriles sunt languidi & materia est admodum viscida, ab omnibus sistentibus absteineat, & potius per incidentia & roborantia partim materiam præparet, partim vero *Natura* succurrat quo hoc modo eo facilius materia febrilis correctio, secretio & excretio contingere queat.

V. In febribus lentis, quæ plerumque febres tam continuas quam intermittentes male curatas sequuntur, & hinc etiam earundem typum, quamvis obscure, adhuc servant, potissimum ad morbum primarium respiciat Medicus, & si forsitan adhuc aliquid materiae febrilis relictum fuerit, illud corrigere & ad exitum disponere per diluentia & incidentia conetur. In Febre autem Hectica, in qua plerumque *Hepar* simul affectum esse probabile mihi videtur, gradus febris hecticae observet: an in primo, secundo vel tertio versetur, sic enim facile perspiciet, an adhuc *Natura* succurrere queat: primo enim gradu Hecticam facile, in secundo difficulter, in tertio profus non curari, unanimis Practicorum est consensus. Cum totum corpus caleat, & aridum sit, nulla magis profunt quam diluentia & temperantia, v. g. *Gelatina C. C.* cum amygdalis dulcibus parata, decoctum hordei, potus sufficiens &c. utpote quæ & particulas, Areas biliosas in M. S. abundantes temperant & gelatinosas particulas, quas Area continuo absumunt, sanguini concedunt. Imo *Hepar* etiam, quod in dissectis cadaveribus utpl. aridum deprehensum fuit, emolliunt, unde pori denuo aperiuntur, ut bilis, quæ iisdem constrictis in sanguine permanebat, denuo secerni & ad intestina deponi queat.



oni
vil-
udo
tti-
ero
bus
im
fe-


er-
ob-
, si
una
le-
ob-
uc
il-
ma
ia,
ns
&c
no
e-
n-

ULB Halle

3

005 315 840





B.I.G.

Farbkarte #13

024.

32 MEDICVS
PRACTICVS
CLINICO-FORENSIS

4

SEU

BREVIS

INTRODU-
CTIO

AD

PRAXIN CLINICAM

ET

FORENSEM

MODUM SISTENS ÆGROS VISENDI, CUM
ALIIS CONSULTANDI ET IN FORO RENUNCIANDI
ET DEPONENDI.

OPUSCULUM OMNIBUS MEDICINAM FACTURIS, LECTUM
ADITURIS, FORUMQUE MODERATURIS
LECTU PER QUAM UTILE ET
NECESSARIUM

Methodo facili & perspicua conscriptum

Nd 2265

JOHANNE JACOBO ROSENSTENGELIO;
MED. DOCTORE.

FRANCOFURTI AD MOENUM.

Sumptibus ANDR. FRID. BOETTICHERI. ANNO M D CC XVII.